

## De Uno sive Unitate apud Graecorum philosophos.

**U**nus sive Unitatem ad rerum naturam constituendam aliquid valere, permulti olim Graecorum philosophi sibi persuasum habebant. Neque tamen omnes uno nomine eandem notionem comprehendebant. Itaque ut appareat, quales quantumque inter se diversae istae notiones fuerint, praecipuas de Uno doctrinas recensebo breviterque adumbrabo.

## I. Pythagoreorum de Uno doctrina.

Unitatis vim atque potestatem primi inter Graecos Pythagorei praedicabant. Quum vero neque ipsius Pythagorae scripta ulla nostra memoria legantur, et iam veterum temporibus philosophia eius densissimis tenebris obvoluta fuerit, in exponendis Pythagoreorum placitis aptissimum videtur Philolaum imprimis sequi, cuius fragmenta Boeckhius collectaque luculenter illustravit.

Erat autem, auctore Iamblico, dictum Philolai: ἐν ἀρχα πάντων (B. p. 150), ut dubitare nequeamus, quin magnam aliquam vim Philolaus Unitati tribuerit. Quae vis qualis fuerit, doctrina eius longius enarrata, elucebit. Scilicet libri, quem Philolaus de rerum natura scripsit, hoc fuit initium: Ἀνάγκη τὰ οὖτα εἰμεν πόντα η περιάνοντα η ἀπειρα η περιάνοντα τε και ἀπειρα (B. p. 47). Itaque principia rerum duo posuit finita atque infinita. Haec sententia per se isti de Uno doctrinae repugnare videtur. Neque tamen difficile est eas inter se conciliare. Etenim Pythagoreos substantiam rerum numeros existimasse, Aristoteles testatur. Ipsum vero Philolaum idem dixisse a Stobaeo docemur (B. p. 145): Φεῦδος οὐδὲν δέχεται ἀ τῷ ἀριθμῷ φύσις οὐδὲ ἀρμονία· οὐ γάρ οἰκεῖον αὐτοῖς ἔντι· τὰς γάρ ἀπέιρω και ἀνοήτω και ἀλόγω φύσιος τὸ ψεῦδος και ὁ φθόνος ἕντι, atque alio loco: Φεῦδος δὲ οὐδαμῶς εἰς ἀριθμοὺς ἐπιπνεῖ, πολέμου γάρ και ἐκθερόν αὐτῷ τὰ φύσι· ἀ δὲ ἀλάθεια οἰκεῖον και συμφυτον τὰ τῷ ἀριθμῷ γενεα. His comparare debemus locum, quo Philolaus numeri denarii virtutem magnifice laudat (B. p. 139): Θεωρεῖν δεῖ τὰ ἔγγα και τὰν ἐσσίν τῷ ἀριθμῷ καττὰν δύναμιν, ἃτις ἔντι τῷ δικάδι· μεγάλα γάρ και παντελής και παντοεργός και δεῖν και οὐδανίω βίω και ἀνθρωπίνῳ ἀρχά και ἀγεων. Videmus igitur, his locis inter se comparatis, Philolaum omnes numeros ad finiti naturam rettulisse, vel potius, quae initio operis sui τὰ περιάνοντα vocaverat, ea re vera esse numeros, quippe qui infinitum ita definiant, ut certis terminis positis res quaedam fiant. Itaque merito omnes numeros ἀρχας sive principia nominare potuit, iis vero solum hoc no-

men concessit, quorum singularem aliquam virtutem animadvertisse sibi videbatur. Singularis vero Unitatis vis ea est, ut ab Uno ceteri numeri initium sive originem capiant. Quamobrem, sicut res omnes a numeris formam atque existentiam trahunt, ita numeri ipsi formam atque existentiam Uni debent. Nam etsi numeri sua natura omnes finiti sunt, tamen Pythagorei duo eorum genera posuerunt, quod Philolaus ipse testatur (B. p. 58): ὅ γα μάν ἀριθμός ἔχει δύο μὲν ἴδια εἰδη, περιουσὸν καὶ ἄρτιον. Aristoteles vero (Met. A. 5) certiores nos facit, τὸ περιουσὸν ad genus finitum (*πεπερασμένον*) rettulisse Philolaum, τὸ ἄρτιον ad genus infinitum (*ἄπειρον*), itemque Proclus ad Timaeum I. 54 haec habet: Κρατεῖται δὲ ὑπὸ τῶν θεοτόκων τὰ καταδεέστερα καὶ εἰς ἀποτελεῖται κόσμος ἐξ ἀναντίων ἡγμοσμένος, ἐκ περινότων τε καὶ ἀπείρων ὑφεστηκὼς κατὰ τὸν Φιλόλαον, καὶ κατὰ μὲν τὰ ἐν αὐτῷ ἀπειρά τὰ ἐκ τῆς ἀριθμοῦ διάδοσης ή τῆς ἀπειρίας φύσεις, κατὰ δὲ τὸ ἐκ πάντων τούτων ἐν καὶ δόλον καὶ παντελές εἶδος ἐκ τοῦ ἐνός ὃν κτλ. (B. p. 56). Hoc loco videmus, dyadem ad genus infinitum referri. Scilicet dyas per se infinita dicitur, finita tantum, quatenus unitatis particeps est. Haec si tenemus, iam intelligimus, quomodo Unum omnium rerum principium appellari possit. Res enim infinitae finiti naturam induunt, numeris in se receptis, omnes vero numeri ab Unitate atque dyade initium capiunt, dyas vero uno definitur, ita ut re vera Unum primus terminus, τὸ περιας κατ' ἐξοχὴν, recte nominetur.

Restat quaestio, utrum Pythagorei Unitatem a Deo diversam, an Deum ipsum esse Unitatem docuerint. Et Philolai quidem de Dei natura hoc exstat testimonium (B. p. 156): ἐντὶ δὲ ἀγεμών καὶ ἀρχῶν ἀπάντων θεός εἰς ἀεὶ ἐών μόνυμος ἀκίνατος αὐτῷ ὄμοιος, ἀτέρος τῶν ἀλλων. Haec verba si animo diligenter perpendimus, nondum satis demonstrare videntur, Unitatis nomine a Philolao Deum significari. Namque aliud est Deum dicere numero unum, atque si Deum Unitatem dicas. At enim medio in mundo ignem positum esse dicit, circa quem coelestia corpora decem numero cursu ferantur. Hunc (B. p. 94) ἑστίαν τοῦ παντὸς καὶ Διὸς οἶκον καὶ μητέρα θεῶν βωμὸν τε καὶ σινοχήν καὶ μέτρον φύσεως appellat, quibus ex verbis concludi potest, istum Universi focum fuisse locum, unde anima mundi in omnes naturae partes penetret. Hunc vero focum alibi Philolaus nominabat τὸ πρῶτον ἀριθμοσθέν, τὸ ἐν τῷ μέσῳ τὰς σφαιρὰς ἑστία καλεῖται (B. p. 91). Appellatur igitur Hestia Unum, et quum Iovis sive Dei domicilium supra nominatum sit, verisimile est primo aspectu, ideo Unius nomine ornari, quia Deus Unum sit. At ipsius Philolai verba repugnant. Dicit enim: τὸ πρῶτον ἀριθμοσθέν, res primum creata. Neque potest res creata Deo non diversa cogitari. Unum vero Hestia nominatur, quod coelestium corporum motus ita regit, sicuti τὸ ἐν numeros omnes per numerosque totum mundum administrat. His de caussis negandum esse censeo, Philolaum Deum unquam Unitatem appellasse.

## II. Eleaticorum de Uno doctrina.

In Eleaticorum doctrina explicanda ita versabor, ut Xenophanem Parmenidemque, principes eorum, solos fere respiciam, quorum reliquiae a Karstenio diligenzia summa collectae sunt.

Et primum quidem de Eleaticis in universum exstat Platonis testimonium in Sophista p. 242 D.: τὸ δὲ παρ' ἡμῖν Ἐλεατικὸν ἔχοντος ἀπό Ξενοφάνους τε καὶ ἐπιπρόσθεν ἀρχέρμενον, με ἐνδικτος τῶν πάντων καλουμένων, οὕτω διεξέρχεται τοῖς μυθοῖς. Dicit igitur Plato, Eleaticae doctrinae summam fuisse, omnia esse Unum. Quod ut clarius intelligatur, quo sensu dictum sit, paullo longius praecipua quum Xenophanis, tum Parmenidis placita exponemus.

Auctor autem est Aristoteles, Met. A. 5, Xenophanem Unitatem Deum appellasse, his verbis: Ξενοφάνης δέ πρῶτος τούτων ἐνίσας οὐδὲν διεσαρήνεσν — — ἀλλ' εἰς τὸν σὸλον οὐρανὸν ἀποβλέψας τὸ ἐν εἶναι φησὶ τὸν θεόν. Similiter Theophrastus apud Simplicium comm. in Ar. phys. 6. a. haec habet: τὸ γάρ ἐν τοῦτο καὶ πᾶν τὸν θεόν ἐλεγενεν Ε. His inter se comparatis efficitur, Xenophanis fuisse sententiam, omnia esse Unum, Unum vero esse Deum, qua de causa merito iis adnumeratur, quos pantheistas vocant, quippe qui naturam sive mundum a Deo non discernunt. De hoc Uno res universas in se complectente, sive, ut imprimis nominavisse videtur, de Deo praeterea Xenophanes docuit: 1) ἀΐδιον μὲν εἶναι τὸν θεόν, 2) ἐνακ μόνον εἶναι τὸν θεόν, id quod iam vidimus, 3) πάντη δόμοιον δίτα σφαιροειδῆ εἶναι, 4) οὐτε ἀπειρον εἶναι οὐτε πεπερασθαι, 5) οὐτε κυνεῖσθαι οὐτε ἀκίνητον εἶναι, quae longius exposuit Aristoteles, aut quicunque fuit, in libro de Xenophane, Zenone et Gorgia c. 3. Haec recte tradita esse, ipsius Xenophanis fragmenta e carmine de rerum natura petita probant. Iu eo enim, quod primo loco posuit Karstenius, legimus:

εἰς θεός ἐν τε θεόσιν καὶ ἀνθρώπουσι μέγιστος,  
οὐτε δέμιας θυγήτοσιν ὄμοιός οὐτε τόημα.

fr. 5. αἰεὶ δὲν ταύτῳ τε μένειν κανούμενον οὐδὲν  
οὐδὲ μετέρχεσθαι μιν ἐπιπρέπει ἀλλοτε ἀλλοι.

Dicit igitur ipse Xenophanes Deum unum sempiternum immobilem. Sphaerae forma eum esse praeditum, in ipsis fragmentis, paucis sane numero, non invenitur. Sed quin id recte ab eo, qui librum de Xen. Zen. Gorg. conscripsit, dicatur, dubitari nequit. Praeterea Xenophanes Deum totum sensu atque ratione praeditum esse contenterat (fr. 2). Haec est summa eorum, quae de Deo sive Uno praedicabat iste Eleaticorum princeps, quam Timo sillographus, apud Sextum Empiricum Hyp. Pyrrh. I. 244, eleganter his versibus expressit:

διπτη γάρ ἐμὸν τόσον εἰρύσσωμι,  
εἰς ἐν ταύτῳ τε πᾶν ἀνελύετο· πᾶν δὲ δὲν αἰεὶ<sup>1</sup>  
πάντη ἀνελκόμενον μίαν εἰς φύσιν ἵστατ' ὄμοιαν.

Constat igitur, Xenophanem omnia Unum sive Deum dixisse, deum vero motus expertem. Quod si quis haec duo acuta mente inter se compararet, in eam sententiam adducatur necesse est, ut re vera in mundo nihil mutari, sed omnia semper eundem statum habitumque servare dicat. Namque si qua mundi pars motum pateretur, ipse Deus mutationem in se reciperet, id quod negaverat Xenophanes. Neque tamen constat, utrum Xenophanes sua ipsius doctrina id concluserit, an secus. Sunt eius verba (fr. 4):

καὶ τὸ μὲν οὖν σαφὲς οὐτε ἀνὴρ γένεται οὐδὲ τὰ ἔσται  
εἰδώς, ἀμφὶ θεῶν καὶ ἀστα λέγω περὶ πάντων.

εἰ γάρ καὶ τὰ μάλιστα τύχοι τετελεσμένου εἰπών,  
αὐτὸς δῆμας οὐκ οἶδε· δόκος δὲπὶ πᾶσι τέτυκται.

Dicit igitur, incerta esse quae de Diis atque omnibus rebus tradat, opinionem dubitationis atque incertitudinis plenam ubique inveniri. Sed animo teneas quaeso, Xenophanem dicere, suam de Diis opinionem esse fluxam. Non dicit, de Deo. Videtur potius intellexisse, sua ipsius doctrina se cogi, ut omnes mutationes in mundo hominibus visas re vera non esse dicat, sed ludibrio atque errore sensuum nos induci, ut quae semper immota sint, ea mota atque immutata existemus. Quamobrem istorum motuum veritas atque scientia esse nequit, quae vero de iis atque caussis eorum invenisse nobis videmur, ea in numerum opinionum variarum referenda sunt.

Iam videamus Parmenidem. Hic quoque carmen de rerum natura conscripsit, cuius multa servata sunt fragmenta, in quo narravit, se, nymphis Heliadibus viam monstraribus, ad templum Dices curru evectum esse, deinde vero Deam se esse allocutam his verbis (fr. apud K. p. 30):

χρεῶ δὲ σὲ πάντα πυθέονται,  
ἡμεῖν ἀληθείης εὑπειδέος ἀτρεκες ἥτορ  
ἥδε βροτῶν δόξας, τῆς οὐκ ἔνι πίστις ἀληθίας.

His versibus Parmenides veritatem a vanis hominum opinionibus clare distinxit, ita ut carmen suum in duas partes divideret, alteram, qua quid verum sit exponeret, alteram, qua opiniones tantum traderet. Primae partis hoc fuit initium (K. p. 32):

χρή τὸ λέγειν τε νοεῦν τε, τ' εὖν ἔμισται, ἔστι γάρ εἴναι,  
μηδέν δ' οὐκ εἴναι.

Dicere nos oportet atque cogitare, ens esse (est enim existentia), nihil (sive non — ens) non esse.

Deinde naturam Entis fusius describit his versibus (K. p. 34):

ἄς ἀγένητον εὸν καὶ αἰωνίησθον ἔστιν,  
οὐδὲν μουνογενές τε καὶ ἀτομέτες ἥδ' ὀτελεστον.  
οὐ ποτ' εἶην οὔτ' ἔσται, ἐπεὶ νῦν ἔστιν ὅμοιος πᾶν  
ἔν ξυνεχές.

Quum sit non natum neque interitus particeps, integrum atque unicum, immobile atque fine destitutum, nunquam erat neque erit, quia nunc est uno tempore integrum Unum continens.

Hic subsistamus. Parmenides igitur dixit, Unum sive Ens solum re vera esse, omnis mutationis expers. Non ens vero ne esse quidem. Hac doctrina cum Xenophane comparata, memorandum videtur, Parmenidem non iam Unum Dei nomine ornare, quippe vox illi non satis omnibus opinionibus libera, non satis, ut ita dicam, omni materia destituta videretur, eodem fere modo, quo nuper Spinoza Dei nomini substantiam praetulit, ne quam imaginem speciosam et rebus sub sensum cadentibus cognatiorem itaque falsam praeponeret, sed ut summum illud Ens ab omni finitarum rerum contaminatione defenderet.

Nunc procedamus atque quae praeterea de Ente praedicavit audiamus. Insignis imprimis locus est hic (K. p. 36):

αὐτῷ ἀκίνητον μεγάλων ἐν πείρασι δεσμών  
ἐστὶν ἀναρχον, ἀπαυστον, ἐπεὶ γένεσις καὶ διεδρος  
τῆλε μιλ' ἐπλάγχθησαν, ἀπωσε δέ πιστις ἀληθής.  
τωύτον δὲν τωύτῳ τε μένον καθ' ἔντο τε κεῖται,  
οὕτως ἔμπεδον αῦτι μένει· κρατεροὶ γάρ ἀνάγκη  
πείρασις ἐν δεσμοῖσιν ἔχει κτλ.

Quum Ens unum sit, aeternum, immobile, consentaneum est, partes eius non esse neque dissecari posse (K. p. 36). Praeceptorem vero secutus, Parmenides globi formam ei attribuit (K. p. 38).

Praeter ipsum Ens sive Unum nihil esse, tum loco supra allato ipse Parmenides dicit, tum auctor est Plato in Sophista p. 237 a. Quid vero sint, quae ibi dicuntur μὴ ὄντα, ipsius doctrina Platonis edocemur. Scilicet notum est, ita appellari res sensibus obvias, res finitas atque mutabiles. Has igitur dixit non esse Parmenides. Idem fere valet quod Zeno, eius discipulus, scripto singulari demonstrare contendit, τὰ πολλὰ non esse (Plato Parm. p. 128 d, e). In hoc dogma necessitate quadam deductus est Parmenides, quod Unum, rerum universitatem in se complectens, immobile dixerat. Cfr. etiam Platonis verba in Theaet. p. 180 e: — — Μέλισσοι τε καὶ Παρμενίδαι ἐναπούμενοι πᾶντι τοῖτοις (sc. Heracliteis) διῆχυνθίζονται, ὡς ἐν τε πάντα  
ἐστὶ καὶ ἔστηκεν αὐτὸν ἐν αὐτῷ οὐκ ἔχον χώραν ἐν τῇ κυρείται. Iam vero sensus Parmenidis sententiae occurrabant. Multae enim rerum vicissitudines in mundo cernuntur. Nihil ideo restabat, nisi sensuum auctoritatem rejicere. Quod iste fecit, teste Aristotele de Coelo III. p. 368. Ipsius vero Eleatici verba haec exstant, quibus, veritate exposita, alteram partem operis de opinionibus incipit (K. p. 40):

ἐν τῷ οὐ παύω πιστόν λόγον ἥδε τόπῳ  
ἀμφὶς ἀληθής, δόξας ἀπὸ τοῦδε βροτείας  
μάτισαντε, κόσμον ἔμῳν ἐπειν ἀπατήλοις ἀκούων.

Fuit igitur summa Eleaticae doctrinae, universum Unum esse Ens immobile, mutationes omnes nobis visas ludibria esse sensuum. Quod si quis secum diligenter perpenderit, maximum inter Eleaticos atque Pythagoreos discrimen eum fugere nequit. Eleatici nihil praeter Unum esse contendeant, Pythagorei Unum esse principium omnium, quae sunt.

### III. De Unitate apud Platonem.

Platonem multis locis Eleaticorum doctrinam refutasse, notum atque pervulgatum est. In Sophista enim convincere studuit, esse non ens (*εἰναὶ τὰ μὴ ὄντα*); in Parmenide autem operam dedit, ut totum illud dogma de uno ente penitus tolleret. Namque ostendit, quantum haec notio sibi ipsi repugnet. Videas quoero imprimis finem libri, ita procedentem: Εἰρήσθω τούτου τοῦτο τε καὶ ὄντι, ὡς ἔσκεν, ἐν εἴτε μὴ ἔστεν αὐτό τε καὶ τὰλλα καὶ πρὸς αὐτὰ καὶ πρὸς ἄλληλα πάντα πάντως ἔστι

*τε καὶ οὐκ ἔστι καὶ φαινετά τε καὶ οὐ φαίνεται.* «Dicatur igitur necesse est, Unum ut videtur, sive sit, sive non sit, quum ipsum tum alia et per se spectata et inter se comparata omnia omnimodo esse atque non esse, videri atque non videri.»

His consideratis, fieri aliter nequit, nisi ut exspectemus, in doctrina Platonis Unum omnino non inventum iri. Tamen contrarium accidit. Atque est locus de hac re insignis in Philebo p. 15 A. sq., ubi Socrates Protarchum admonet, quanta sit doctrinae de Uno atque multis difficultas: *Οπόταν τὸ ἐν μὴ τῶν γυγνομένων τε καὶ ἀπολλημένων τις τιθῆται, .... δταν δὲ τις ἔνα ἀνθρώπον ἐπιχειρῇ τίθεσθαι καὶ βούν ἔνα, καὶ τὸ καλὸν ἐν καὶ τάγαθὸν ἐν, περὶ τούτων τῶν ἐνάδων καὶ τῶν τοιουτῶν ἡ πολλὴ σπουδή, μετὰ διαιρέσεως ἀμφισβήτησις γίγνεται.* Πρῶτον μέν, εἴ τινας δεῖ τοιαύτας εἶναι μονάδας ὑπολαμβάνειν, ἀληθῶς οὔσας, εἴτα πᾶς αὖτας, μίαν ἐκάστην, οὔσαν δεῖ τὴν αὐτήν καὶ μήτε γένεσιν μήτε ὀλεθρον προσδεχομένην, διηγεῖται βεβαύτητα μίαν ταύτην, μετά δὲ τούτην, ἐν τοῖς γυγνομένοις αὐτῷ καὶ ἀπειροῖς εἴτε διστοπλιμένην καὶ πολλὰ γεγονοῦντα δεῖτεν, εἰς' ὅλην αὐτήν αὐτῆς χωρίς ὁ δῆμος πάντων ἀδυνατώτατον φαίνονται ἀν, ταύτον καὶ ἐν ἄμα ἐν τε καὶ πολλοῖς γίγνεσθαι. Nemo qui vel obiter Platonis philosophiam viderit, non intelliget, hoc loco Unitates vocari, quae alibi ideae vocantur. Et in Parmenide p. 126 a. contra ideas (*τὰ εἰδή*) fere eaedem difficultates moventur, atque hic, quas omnes afferre longum est. Quas difficultates quomodo Plato sibi explicuerit, e Philebo potissimum cognoscimus, namque in Parmenide moventur, non solvuntur. In Philebo p. 27 B. quattuor posuit principia: πρῶτον μὲν τοίνυν ἀπειρον λέγω, δεύτερον δὲ πέρας, ἐπειτ' ἐκ τούτων τρίτον μικτήν καὶ γεγενημένην οὐσίαν· τὴν δὲ τῆς μίξεως αἵτιαν καὶ γενέσεως τετάρτην λέγων, ἄφα μὴ πλημμελούσην ἀν τι. Sunt igitur principia Infinitum, Finis, quorum utrumque a Pythagoreis desumpsit, Res factae (die gewordenen, wirklichen Dinge), Caussa efficiens, quae infra (p. 30 c.) sapientia atque ratio dicitur, αἵτια οὐ φαύλη, ποσμούσα τε καὶ ὥρας καὶ μῆνας, σορφία καὶ ιούς λεγομένη δικαιότατην ἀν. Quattuor haec principia in Timaeo paullo aliter denominata recurrunt. Caussa efficiens est Deus, mundi opifex (δημιουργός p. 28 sqq. et saepius), Res factae mundus (τὸ πᾶν, οὐρανός, κόσμος), Finem atque Infinitum habemus p. 27 d.: *ἐστὶν οὖν δῆμος κατ' ἐμπήν δόξαν πρῶτον διαιρετέον τάδε· τί τὸ δὲ αἱ, γένεσιν δὲ οὐκ ἔχον, καὶ τί τὸ γυγνόμενον μὲν αἱ, δὲ οὐδέποτε.* Haec duo infra in eodem dialogo passim ταῦτὸν καὶ δεῖτεν vocantur; atque docet Timaeus, Deum aeternum istud (τὸ ἀλέδινον) exemplar sibi sumpsisse, ex quo res formaret. Neque igitur dubitari potest, quin τὸ αἱ δὲ οὐδέποτε ταῦτὸν in Timaeo obvium idem sit atque τὸ πέρας in Philebo. Finis autem ab Unitate diversum non est; namque in Philebo p. 16 c. legimus: *καὶ οἱ μὲν παλαιοὶ πρείτονες τριμῶν καὶ ἐγγυτέων δεῶν οἰκοδύτες ταύτην φίλιην παρέδοσαν, ὃς ἐξ ἐνός μὲν καὶ ἐκ πολλῶν, δύτων τῶν αἱ λεγομένων εἶναι, πέρας δὲ ἀπειρίαν ἐν αὐτοῖς διύφυτον ἐχόντων, δεῖν οὖν ἡμᾶς, τούτων οὕτω διαικεσμημένων, αἱ μίαν ἴδεσθαι περὶ παντὸς ἐκάστοτε δεμένους ζητεῖν.* Hoc loco ideam, unum, finem diversa non esse, luce clarius patet. Per se igitur omnia infinita, sed deus, caussa efficiens, ad ideas sive aeternum respiciens, finem atque numerum iis indidit, ut iam re vera aliiquid ens (γεγενημένη οὐσία) fiat. Cfr. etiam Timaeum p. 53 a.

Vides, quantum haec de infinito doctrina, Unius sive finis participe, cum Philolao conveniat; neque tamen oblivisci nos decet, magnum interesse discrimen inter Platonem et Pythagoreos. Namque Plato Unius et finis nomine tum solum utebatur, quum vim, quam illud principium habeat ad res in ordinem revocandas, designaret, quum vero ipsius naturam per se spectaret, sive *ταύτων* nominavit, sive *άιδιον*, sive *εἴδη*, sive *μονάδας*, sive *έναδας*. Omnium enim, quae sunt, species quasdam aeternas esse voluit, singulas vero species sive ideas unitates esse, ut plures, immo innumerabiles unitates doceret. Quodsi hasce unitates semper easdem, neque originis neque interitus participes esse censem (Phil. l. c.), nemo est, quin videat, haec ex Eleaticorum doctrina petita esse, ut Plato Pythagoreorum atque Eleaticorum philosophiam quasi coniunxerit atque consociarit. Sed haec hactenus. Adumbrare enim volumus Platonis de Unitate sententiam, non omnem eius philosophiam tractare.

At, priusquam Plotini placita explicemus, non praetereundum esse videtur, Academicos, qui Platonem excepérunt, notionem a Platone diversam de Unitate probasse, inter quos elucet Xenocrates. De quo haec habet Stobaeus I. p. 162: Ε. τὴν μονάδα καὶ τὴν δυάδα σεοίς, τὴν μὲν ὡς ἀρχέντα πατρὸς ἔχουσαν τάξιν ἐν οὐρανῷ βασιλεύουσαν, ἦπινα προσαγόρεύει καὶ Ζῆτα καὶ πρωτόν τοῦν, δύοτις ἐστὶν αὐτῷ πρῶτος δεός, τὴν δὲ ὡς Δηλειαν μητρὸς δεῖκην τὴς ὑπὸ τὸν οὐρανὸν λήξεως ἥγουμενην, ἣτις ἐστὶν αὐτῷ ψυχὴ τοῦ παντός. Agnoscamus Unum atque numerum binarium, quae Xenocrates perinde atque Pythagorei mundi principia esse voluit, eo tamen discrimine facto, quod Deum Unitatem appellavit, quod nomen Pythagoreis usitatum non fuisse supra vidimus.

#### IV. Plotini de Uno doctrina.

Exstat Plotini commentatio, a Porphyrio, eius discipulo, qui opera eius recensuit, in finem omnium reiecta, quippe quae quasi finem atque summam philosophiae eius contineret, quae inscripta est περὶ τοῦ ένός ή τοῦ ἀγαθοῦ, quamquam haec inscriptio Porphyrio debetur, Plotinus enim nihil commentationibus suis inscripserat. Hanc commentationem imprimis sequemur.

Docet igitur Plotinus fere haec: Omnia, quae sunt, Uni existentiam debent, et quae a principio sunt, et quae quomodounque entibus adnumerantur (l. c. p. 757 Kreuzer). Id ex eo conclusit Neoplatonicorum iste princeps, quia nulla res esse potest, nisi quae una sit; namque si qua res dissecatur, itaque Uno privatur, esse desinit, atque alia quaedam existunt, quae iam unumquodque Unum sunt. Ipse dicit ταῦτα γοῦν, καὶ δοσον τὸ ἐν ἀπόλλυσι, ἀλλάσσον τὸ εἶναι ..... ἀλλα δὲ γενόμενα καὶ ἐκεῖνα δοσα ἐν ἐστιν.

Constat igitur, omnium rerum principium esse Unum. Haec doctrina a Pythagoreorum primo aspectu haud ita multum diversa videtur. Sed videamus porro. Negat deinde multis argumentis Plotinus, Unum esse aut animam, aut mentem (*νοῦν*), aut universum mundum.

**A n i m a** esse nequit hac de caussa (p. 758): πολλή ἡ ψυχὴ καὶ ἡ μία κάνει εἰ μη̄ ἐκ μερῶν, πλεῖσται γάρ δυνάμεις ἐν αὐτῇ λογίζεσθαι, δογματικοῖς, ἀντιλαμβάνεσθαι ἀ τῷ ἐνὶ ὕσπερ δεσμῷ συνέχεται. Variae sunt virtutes animae, quae Uno tantum sicut vinculo continentur. Itaque, quamvis corporis partes anima in unum coniungat, ipsa Unum non est. sed una, Unius particeps, ἐπάγει μὲν δῆτὴ ψυχὴ τὸ ἐν, ἐν οὐδεὶς καὶ αὐτῇ ἀλλῳ (sc. corpori), πάσχει δὲ τοῦτο (sc. quod una est) καὶ αὐτῇ ὑπ' ἀλλου (i. e. ab Uno).

**M e n s** Unum esse nequit, quia ne mentem quidem omni varietate destitutam videmus: καὶ μὲν εἰ αὐτὸς (sc. νοῦς) τὸ νοοῦν καὶ τὸ νοούμενον, διπλοῦς ἔσται, καὶ οὐκ ἀπλοῦς οὐδὲ τὸ ἐν· εἰ δὲ πρὸς τὸ ἔτερον βλέπει, πάντως πρὸς τὸ κρείττον καὶ πρὸς αὐτὸν, εἰ δὲ καὶ πρὸς αὐτὸν καὶ πρὸς τὸ κρείττον καὶ οὕτω δεύτερον (p. 759), i. e. »atque si mens simul sit et quod cogitat, et quod cogitatur, duplex erit, neque simplex neque Unum; si vero aliud contemplatur, omnino necesse est, ad id respiciat, quod ipsa maius atque prius est. Si vero simul et se contemplatur et quod ipsa maius est, eo quoque modo secundum tantum locum obtinet.« Scilicet mens aliquid cogitet necesse est, quod a se ipsa diversum sit; itaque in cogitando semper duo inveniuntur, mens quae cogitat, res quam cogitat.

Denique universitas rerum Unum esse nequit hac de caussa: καὶ δῆτὴ καὶ τὸ ὅλον ὃν, πάντα ἐν αὐτῷ ἔχον τὰ ὄντα πολλά, μᾶλλον ἀν εἴη καὶ ἔτερον τοῦ ἐνός, μεταλίψει δὲ ἔχον καὶ μετέξει τὸ ἐν (p. 759).

Neque igitur Unum quidquam est entium, sed ab omnibus quae sunt diversum et super omnia eminens (p. 760). Quam ob caussam nihil eorum, quae in rebus animadvertisuntur, in istud quadrat: οὔτε οὖν τι οὔτε ποιὸν οὔτε ποσὸν οὔτε νοῦς οὔτε ψυχὴ οὐδὲ κινούμενον οὐδὲ ἔστως, οὐκ ἐν τόπῳ, οὐκ ἐν χρόνῳ, ἀλλὰ τὸ καὶ αὐτὸς μονομεθεῖς, μᾶλλον δὲ ἀνείδεον, πρὸς εἶδον τὸν παντός, πρὸς κινήσεως, πρὸς στάσεως· ταῦτα γάρ περὶ τὸ ὃν, ἀ πολλὰ αὐτὸς ποιεῖ (p. 760). Immo né voluntatem ei attribuas (p. 764): οὐδὲ βούλησις τούτην οὐδενός· ἀλλ' ἔστιν ὑπεράγαδον καὶ αὐτὸς οὐχ ἔστιν, τοῖς δ' ἀλλοῖς ἀγαδόν, εἴ τι αὐτοῦ δύναται μεταλαμβάνειν. Cogitationis quoque expers esse oportet: οὐδὲ νόησις (sc. ἔστιν αὐτῷ), ἵνα μη̄ ἔτερότης. Neque tamen hoc ita intelligere debemus, ut Unum ignorans esse omnium existimemus, η̄ γάρ ἀγνοία ἔτέρου ὄντος γίνεται, διαν ψάτερον ἀγνοή ψάτερον· τὸ δὲ μόνον οὔτε τι γινώσκει οὔτε τι ἔχει δὲ ἀγνοεῖ, ἐν τῷ συνὸν αὐτῷ οὐ δεῖται νοήσεως ἔστι.

Sed quaerat quis, quale igitur Unum istud mente atque animo nobis fingamus, vel quanam ratione comprehendamus. Id fieri non posse scientia, et per se apparent, et ipse Plotinus disertis affirmat verbis (p. 761): γίνεται δὲ η̄ ἀποφία μάλιστα, ὅτι μηδὲ κατ' ἐπιστήμην η̄ σύνεσις ἐκείνου, μηδὲ κατὰ νόησιν, ὕσπερ κατὰ ἄλλα νοητά, ἀλλὰ κατὰ παρουσίαν ἐπιστήμης κρείττονα — — λόγος γάρ η̄ ἐπιστήμη. Nimis Unum tum demum intelligi quodammodo potest, quum animus illius cogitationis studiosus et ipse omnino unus est, omni varietate relicta. Id quod, dum cogitamus, fieri nequit. Semper enim, quod iam supra admonuimus, res cogitata quique cogitat animus diversa sint, necessarium est. Qua de caussa ratione atque oratione neque

ipso veram Unius imaginem nobis fingere, neque aliis praeponere possumus, sed ita tantum valent istae, ut gravibus argumentis animum suscitent et ad divinum ipsius Unius aspectum promptum praebeant monstrantque viam. Ipse Plotinus haec dicit: ἀλλὰ λέγομεν καὶ γράφομεν πέμποντες τὸν αὐτὸν καὶ ανεγείροντες ἐκ τῶν λόγων τὴν Σέαν, ὥσπερ ὅδον δεινώντες τῷ τι θεάσασθαι βουλομένῳ, μεχρὶ γαρ τῆς ὁδοῦ καὶ τῆς πορείας ή δίδαξε. Quam ante παρουσίαν vocaverat, nunc dicit Σέαν, his nominibus significaturus, nisi anima id assequeretur, ut ipsa Unum evadat, non posse eam verae Unius naturae quidquam comprehendere. Iam vero Unum comparare licet sphaerae cuidam omnia in se complectenti; animae autem, quae sunt humanae, eae similes sunt circulis in illa sphaera descriptis iisque maximis. Eiusmodi vero circulis idem esse medium atque sphaerae ipsi, nemo ignorat. Quodsi anima in intimam atque medianam quasi ipsius partem penetrat, ceterisque relictis eo sese, ut ita dicam, contrahit, necesse est, eandem iam in Unius centro versari. (p. 766. 767.). Quae quum eo modo cum Uno coniuncta est, ita omni varietate caret, ut et res et se ipsam denique ignoret (p. 765): ἀλλὰ ἀγνοήσαντα τὰ πάντα καὶ πρὸ τοῦ μὲν τῇ διωδέσσει, τότε δὲ καὶ τοῖς εἰδεσσιν (alles nicht wissend, zuerst der geistigen Disposition nach, im Augenblicke des Schauens aber auch den Formen nach), ἀγνοήσαντα δὲ καὶ αὐτὸν ἐν τῇ Σέᾳ ἐκείνου γενέσθαι. Cfr. p. 768. τότε οὖν οὔτε ὅφες οὔτε διαχρήσεις ὁ ὄφεων οὐδὲ φαντάζεται δύο, ἀλλὰ οἶνος ἀλλος γενόμενος καὶ οὐκ αὐτὸς οὐδὲ αὐτοῦ συντελεῖ ἐκεὶ πάκείνου γενόμενος ἐν ἑστιν, ὥσπερ κέντρον κέντρῳ συνάψας. Quamobrem haec intima cum Uno societas ne recte quidem contemplatio (Σέα) vocatur, sed alio fortasse nomine digna est (ἐκποτασις καὶ ἀπλωσις). Sed haec omnia ipsius rei nonnisi imagines (μημέματα) sunt.

Sed iam existit quaestio, qua de caussa Unum illud in se omnia quasi complectens non in se ipso manserit, et quomodo rerum multitudo atque varietas ex eo originem traxerit. (Ennead. V. I. p. 486.) De hac re Plotinus affert imaginem splendidam. Ut enim e sole, et ipso immoto, lux nascitur atque dispergitur, ita ex Uno rerum natura fluxit (p. 487). Omnia enim, quae sunt, substantiam quandam suae ipsorum naturae similem emittunt, quae imago sit illarum rerum, unde effluxit, sicuti ignis calorem gignit atque emittit, nix frigus, res fragrantes odorem. Eo igitur modo ex Uno immutabili atque immoto nata est ratio sive mens, deinde ex mente anima, quae omnia animantia, stellas, solem, coelum procreavit atque in ordinem rededit. (I. c. 482.) Sed cāve credas, haec aliquo momento temporis facta esse, namque ipse dicit Plotinus (p. 487) ἐκποδῶν δὲ ἡμῖν ἔστω γένεσις ή ἐν χρόνῳ κτλ.

Est igitur Unum omnium rerum caussa atque fons, sed nullum tempus cogitari potest, quo nondum e caussa suprema res emanaverint. Iam intelligimus, recte a Plotino Unum ita describi posse (Enn. VI. 9. p. 763): καὶ αὐτοῦ ή φύσις τοιαύτη ὡς πηγὴν τῶν ἀρίστων εἶναι καὶ δύναμιν γεννῶσαν τὰ δύντα, μένουσαν ἐν ἑαυτῇ καὶ οὐκ ἐλαττουμένην οὐδὲ ἐν τοῖς γενομένοις ὑπ' αὐτῆς οὖσαν.

Ceteris de Uno doctrinis cum Plotino comparatis, nemini non appareat, quantum distet ab illis, quamquam sunt etiam similitudines. Namque Pythagorei Unum dicebant esse finem modumque, quibus infinita et definitur et in rectum ordinem

redigantur. Plotinus omnes res ex Uno manare docet. Eleaticis vero et Plotino id quidem commune est, ut Unum immobile esse dicant, sed Eleatici omnia alia non esse contendebant, Plotinus reliqua, quae in mundo conspiciuntur quaeque animo cognoscuntur, esse dicit, quamvis ex illo supremo fonte manaverint. Platonis Unitates, quae plures sunt numero, quantum ab Uno illo, quod non solum natura sed etiam numero Unum est, differant, non est quod demonstrem. Scilicet Unum Plotini potius cum idea Boni, de qua Plato in Republica disseruit, comparari potest.